



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Prima Visitatio. Mors & Passio Christi dolorem de peccatis ingerunt.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

dicaturum. Et peto constantiam in tua gratia, felicem mortem, præsertionem ab omnibus occasionibus, in quibus me prævidisti sive in vita sive in morte fore infelicem. Ut lætus in die illa tremenda tibi occurrere possim. Hæc spe fretus me quieti dabo, & evigilanti mane altero & subsequentibus vitæ meæ diebus jugiter insonabit tuba illa: *Surgite mortui, venite ad iudicium.* Pater noster.

P R A X I S S E C U N D A.

*Devotio septiplex erga Christum pro nobis passum
& mortuum ex SS. PP. desumpta in ordine
ad varios bonos affectus.*

Prima Visitatio.

Mors & Passio Christi dolorem de peccatis ingerunt.

ADoro te Domine JESU pro me passus ac mortuus. Video, quod vulneratus sis propter iniquitates nostras. Il. 53. Mea hypocrisis proditorio te osculo hostibus tradidit, libido flagellis concidit, & toto corpore cruentavit. Ira, imprecationes, livorque meus benedictam faciem tuam, in quam Angeli prospicere desiderant, colaphis, sputis, illusionibus onerarunt. Luxus clamide coccineâ, veste illusoriâ, & spineâ coronâ te circumdedit. Inobedientia infame & grave Crucis pondus humeris tuis imposuit. Intemperantia fel cum aceto tibi in ad-

deno

dentissima sibi dedit, Superbia te Barabbæ postposuit, & inter duos latrones medium è Cruce suspendit. Hæ manus, hi pedes, hoc insensatum caput, hæc lingua, hi oculi, hæc omni sensualitati, commoditati, obscœnitati indulgens caro, hoc putidum corpus peccatorum meorum instrumenta, in causa sunt, quòd à vertice capitis usque ad plantam pedis non fuerit in te sanitas. Imò hæc maledicta peccata mea nec mortuo pepercerunt, dum lanceâ sacrum latus tuum, ex quo residuus humor & sanguis pro me effluxit, crudeliter perforarunt. Quot vulnera tot voces, quæ pœnitentiam inclamant, & ad intensissimum de peccatis meis dolorem impellunt. Conjicio me in abyssum amoris tui erga me infiniti, qui te pro me in pœnis tantis ac cruciatibus coram divina justitia substituit. Ingemisco, lacrymarum rivos effundo, peccata mea detestor ac defleo, ad satisfactionem, quam possum, maximam paratum me sisto. Et sicut tu amasti me, sic amo & amabo te deinceps ex pleno contritus corde.

Secunda Visitatio.

Sunt munimen contra peccata futura.

O Domine JESU tanta est virtus sanctæ passionis ac mortis tuæ, ut ad eorum memoriam totus peccatorum fugetur exercitus. Tantarum est virium pia eorundem recordatio. Ut, quemadmodum à luce tenebræ, à vita mors, ita ab ea repellatur nova ad peccandum tentatio. Clavi, qui manus pedesque tuos sacros transfixerunt,